

Quæ omnia non minùs blasphema, quam absurda esse, nemo tam est bardus, quin intelligat: nemo tam impius, quin detestetur.

39. Ceterùm Spiritum sanctum à Patre procedere, nunquàm in Ecclesia dubitatum fuit, disertè hoc attestante Christo. Iob. 15, 26. ubi tali periphrasi illum describit, quod sit Spiritus veritatis, qui à Patre procedit.

Processio
Spiritus S.
à Patre.

40. Quam ob causam Spiritus oris DEI, & spiraculum omnipotentis nominatur. Psal. 33, 6. Iob. 33, 4.

41. Oritur hoc loco questio, quam & olim Maximinus Arianus Augustino objecerat: Cur non Spiritus sanctus æquè dicatur genitus ac Filius, cum utrumque vocabulum & generationis & processionis significet, Essentiam ab alio accipere.

An Spiritus
sanctus dici
possit
Genitus.

42. Sed rectè fuit responsum à Chrysostomo: Quod non scriptum est, non est sentiendum vel dicendum: Scriptura verò nullibi affirmavit: Spiritus gignitur à Patre sed procedit. Et ab Augustino inferète: Quia Filius vocatur Unigenitus, ideò non dicimus, Spiritum sanctum esse genitum: quia non duo, sed unus est Filius: phrasin ergò Filij DEI imitantes dicimus, ipsum procedere.

Chrysost.
Homil. de
Spiritu S.
adorando.

43. Est igitur inter Generationem & Processionem maxima constituenda differentia: ita, ut

H 5

nisi